



I. N. J. 1647 35
29
VERITAS
FATI ASTROLOGICI

quam
Annunte illo siderum ma-
gno conditore ac moderatore, Fato-
rumq; Rectore, summo DEO,
Ac Amplissimæ Facultatis Philosophicæ consensu

Sub Præsidio

VIRI Excellentissimi, Clarissimi, Spectatissimiq;

Dn. M. ALBERTI LINEMANNI
Mathem. in almâ ad Pregelam Albertinâ Prof.
publ. Hospitis amandi. Præceptoris Venerandi,
Fautoris ac Promotoris sui ætatem
colendi, suspiciendi,

Placido Doctorem judicio publicè sistet

**WILHELMUS - JOHANNES LÜ-
DEMANNUS** Harburgô-Lünæburgicus
Autot & Respondens.

*In Auditorio Majori ad d. XII. Julii
Horis antemeridianis.*

REGIOMONTI, Prælo REUSNERIANO.
ANNO M. DCXLVII.

23

VIRIS

Nobilissimis, Excellentissimis, Clarissimis, Reverendis-
simis, Doctissimis, praestantissimisq; Dominis

Dn. JOHANNI à Drebbern/I. U. D.

Celeberrimo, ac Illustris^{mi} & Celsis^{mi} Princi-
pis ac Domini, Domini FRIDERICI, Ducis Brunsw. ac
Lünab. cancellario Dynastiae Harburgensis, longè
gravissimo, amplissimo spectatissimo &c.

Compatriac Augusto suo venerando,
suspiciendo.

Dn. M. ALBERTO LINEMANNO,

Mathem. in almâ Regiomontanâ Prof. Publ.

Hospiti, Praeceptoris ac Promotoris
honorando.

Dn. IOHANNI LÜDEMANNO,

Ecclesiae Hitfeldensis Pastori fidelissimo,

Patri Charissimo.

Dn. M. MARTINO LÜDEMANNO,

verbi ministro in Ecclesia, quæ est apud palæo-
Werdenses, vigilantissimo, Patruo amando,

patronoq; colendo

Dn. FRANCISCO Tieffenbruch/Scho-

lae Jeveranæ Conrectori dignissimo, cognato suo
perdilecto, fautori & amico optimo.

Dominis Mecenatibus, Patronis, Fautoribus, Promotori-
bus, Praeceptoribus &c.

ex debita observantiâ & grati animi declara-
tione primam hanc Minervæ Sobolem

offert mittit

submittit

A. & R.



Aspira cæptis Christe benigne meis!

THEOREMA I.

(^a) Omnes Stelle, tam (1) Fixæ, quàm (2) Erraticæ, agunt in hæc inferiora, (^b) quatenus sunt naturalia (^c) pro diverso positu (^d) diversâq; naturâ, (^e) non per motum, sed (^f) radiorum reflexionem, mediante lumine, (^g) peculiari quadam ac ingenitâ Virtute.

Ingressi jam bono cum DEO, altum Disputationis nostræ pelagus, necessitatem apud Nos instare judicamus, ut adhibitis & compasso pietatis accurato, ac solidâ Veritatis bolide, tutissimam observemus viam, ne hinc neglectis cymbula nostra sævissimis impii chaldaismi scopulis allidatur, nosq; in sirtes ac brevia præravæ opinionis ab ripiamur, mergamur, submergamur. Pedem ergo, ne terra, quod ajunt, cælo misceatur, recto ordine promovebimus, ac more anatomico singula singulatim examinabimus, exenterabimus. Afferimus igitur.

a. Omnes stellas in hæc inferiora agere. Quam Thesin immoto Veritatis talo niti, non solum, qui per transennam modò, quod dicitur, splendidissimum physices sacrarium aspexit; nedicam, qui abditissima Naturæ secreta sedulo miratus ac rimatus est; Verum & ipsa Experientia, rerum omnium Magistra, ὁμοθυμαδὸν mecum affirmat, crepatq; Quem enim in finem, quem in usum, tam innumerabilem

variarum stellarum copiam, à magno illo Mundi Archite-
ctore conditam esse putemus? Num in rerum Naturâ, quid-
quam ociosum aut frustra creatum existinemus? DEUS &
Natura nihil agunt frustra Aristot: lib. 1. de cælo c. 4. Propter
simplicis hujus lucis communicationem, vel certam tem-
poris distinctionem, duo illa luminaria magna suffecissent;
nec opus fuisset tot stellarum myriadibus cæli convexum
opplere. Imò, quâ fit, quod omnes æstates non æquè calidæ
aut serenæ, nec omnes brumæ æquè tempestuosæ ac frigidæ
sint? Ab Astris hæc dependent: Nam quælibet res, prout
suam habet formam, ita per eandem operari & agere vel
lippis & tonsoribus notum. Scarff: Append: III. can. 4.
Disp. Metaph. X. Sperling. lib. 1. instit. Phys. c. 3. p. 85. Hinc
pro variis variarum stellarum formis, quas DEUS ipsis indi-
dit, varios pro silire effectus, varièq; inferiora hæc affici sa-
tis cottidie deprehendimus; ut Virorum illustrium hac de
re autoritates silentii supparo tegam. Et quidem.

1. Stellis Fixis, hanc agendi facultatem, qui de trahere
conatur, soli lucem & cælo astra adimit. Nam Sapientissi-
mi Astrologiæ Mystæ, longâ accuratâq; òbservatione ex-
perti sunt, magnis operandi Viribus fixas præditas esse. Vbi
tamen albis, ut dicitur, asteriscis notandum, minori agendi
potestate ipsis erraticis fixas valere, cum à terrâ remotiores
sint. Origan: part: 3. introd. in Ephim memb: 1. c. 2.

2. De Erraticis idem ferendum judicium; nec opus
esse judico, ut

— — — me longis ambagibus ultra

Quàm satis est morer

Cum omne quicquid totius cæli ambitus complectitur,
plenis quasi buccis hoc affirmare certò certius sit. Et sanè
quanta sit Soli, Lunæq; vis ac potentia, qui non sentit, in
ipso meridie cæcutit, veræq; prudentiæ tam vacuus, quàm
filex

silex lactis. De reliquorum autem planetarum viribus, in præsentiarum nihil injiciam præter illud origani part. 3. Introd. in Ephimerid. membr. 1. c. 1. Præcipuam vim in agendo & mutando hæc inferiora consistere in 7. erraticis stellis & reliquas ad modum harum actiones suas exercere.

β. Inferiora autem hæc pro objecto operationis agnoscunt, quatenus sunt naturalia. Hinc ergo ut de Microcosmo illo macrocosmi Epitome, Homine initium sumam, illum diversis cæli constitutionibus aliter atq; aliter affici, apud omnes, qui hominis gaudent nomine, in confesso & concessio est. Quandoq; in lætitiâ toti resoluti, aut subito meditabundi in mæsticiâ barathrum prolabimur: Quandoq; languore correpti aut meliusculè nos habemus: Tantâ sæpenumero sensuum alacritate vigemus, ut quicquid operum aggressi sumus, celeriter atq; expeditè expediamus, conficiamus: Ad cogitandum etiam animos si appellimus, quàm facillimo negotio, inquisita percipimus, ut hoc diligens Studiosorum caterva non rarè experitur. Vnde nonnullo astro inclinante, poëtico quasi furore concitati, tantam versuum cõpiam ἐν ἰῶ ὄν effundunt, quantam alii digitos mordendo, caputq; scalpendo, vix intra octiduum, tantam ex aridâ spongiâ exprimere possunt. Contra ea in quibus elaboramus, molestè interdum aggredimur, difficulter exercemus, omnemq; lapidem moventes *χερσὶν ἐπιπέτοισι* annitimur, nec tamen quæsitum thesaurum eruimus,

ἀνδρακτες ἐν θυσιαυγέοις.

Scilicet omnia, quæ in amplissimis hisce terrarum amphitheatris sub Lunâ conspiciuntur, oriuntur, nascuntur, extinguuntur, telis corporum cælestium exposita ac subjecta sunt Rectè ergo Poeta (Paling. lib. XI. Sagitt. p. m. 94.)

Quid Virtutis habet cælum? Est vis omnis in astris.

Astra regunt orbem terrarum atq; omnia mutant.

A 3

Astra

Astra creant cuncta in terris & cuncta gubernant.
In Elementis enim, meteoris, lapidibus, vegetabilibus, mineralibus vim astrorum deprehendimus. Syrii, furorem æstatis tempore, quis aliud putet, quàm atomos igneas, siderum virtute extractas, exindeq; tanto ardore inferiora hæc premi? Lunâ plenâ majori vehementiâ mare fervere, quàm alias, eademq; dividuâ minori, cum cottidianâ experienciâ astruit Strabo lib. 3. Aerem ob siderum nonnullorum influentiam manifestis qualitatibus ad pestem disponi posse; Imò extra manifestam causam, citra aëris putredinem aliquando solo influxu & virtute occultâ astrorum, aëri mutationem afferri pestiferam, Danicus ille Aristoteles Bartholinus abundè probavit in probl. Philos. & Med. exerc. 4. probl. 2. Terram etiam, ceu venerem, suavissimis Cæli, tanquam Jovis, amplexibus gaudere, eumq; quasi mariti munere quodammodo fungi, veteres non ineptè dixerunt. Majorag: or: 3. p. m. 81.

Quid? Spiritus illi mineralium, vegetabilium, meteorologicorum, à corporibus cælestibus reguntur & alterantur; Sunt enim Corpora & quidem subtilia. Sed desino lucem soli & cælo addere stellas. Licet verò directè tantum agant in res materiales & naturales; non in spirituales, ut sunt Anima & Voluntas Hominis; hanc tamen variè quaerunt, quatenus nimirum anima unita est Corpori, pendetq; ab organis corporis, quibus in operando utitur: ut sunt spiritus vitales, animales & humores. Unde tritum illud in Scholis Physicorum: Mores sequuntur temperamētum sui corporis. Barthol. exerc. astr. probl. 3. § 403. memb. 2. p. 218.

7. Pro diverso verò positu, diversa etiam sese offert astrorum actio: Nam quis non videt, dummodò clausos, aut saltem conniventes oculos aperiat, propter siderum positu, v. g. Solis, aliam esse tempestatem aut umni aliam veris,

ris,

ris, diversam hyemis, diversam æstatis. Et cur quadratam, sextilem, trigonum & oppositionem non uno calapodio metimur, sed jam planetas fortiores, jam debiliores inde censemus?

d. pro diversâ etiam corporum caelestium naturâ, diversas exerceri vires, in propatulo est: In omnibus enim sideribus, docente Plinio, ipsâq; non reclamante experienciâ, propria semper datur vis: Alia sunt in liquorem soluti humoris fœcunda, alia concreti in pruinas, aut coacti in nives, aut glaciati in grandines: alia flatus, alia teporis, alia vaporis alia roris, alia rigoris. Conf: Barth: exerc: astr. prob. 1. § 233. p. m. 121.

e. Actio verò hæc non perficitur per motum: Nam sic astra e.g. sol aut motu, quo movetur, calefacit, aut motu, quo concutit, atterit & attenuat aërë, quod Aristoteles innuit. Primû si verum, æqualiter perpetuò calefaceret, tam hyeme, quàm æstate: Si secundum, Luna, quæ propior aëri magis calefaceret; Sol enim tanto intervallo remotus non æquè ac Luna coagitare posset aërem. Actio enim naturalis debet fieri per contactum 7. Physic. Et 1. de ort. & inter.

ζ. Porro vires suas exerunt beneficio luminis per reflexionem radiorum. Quod tamen non ita est acceptandum, quasi lumen caloris subjectum introducere velimus: Species enim, seu imago, realem qualitatem non potest deferre; Sed hoc volumus, hoc statuimus, quod cum lumine calor producat, ut sensus hoc testatur. Ad hunc verò producendum vis in sole est per lucem: Vis autem illa & facultas à luce in sole non exeritur; sed à luce per effusum radium & lumen. Nam lumen reverberatum propter duplicatam reciprocationem plus calefacit; Sed non calefaceret reflexa, nisi simpliciter in se haberet principia calefaciendi. Vid. Barth. exer. astr. §. 169. p. 63. Hic tamen notandum, non omnem

omnem, sed vehementem lucem ejusmodi radios calefactorios emittere. A lumine enim candelæ accensæ, qui calor? Et debilis admodum ab astrorum ac solis luce, nisi reflectatur. Sensibilis igitur calor non producitur à radiis nisi reflexis & per refractionem duplicatis. Averr. 2. de cælo.

7. Hæc deniq; astrorum actio, non tantum à lumine procedit; sed ab aliâ peculiari & congenitâ cælesti ac accultâ potentiâ, quæ influentia cælestis dicitur. Quemadmodum hoc Luna, per admirandam in reciprocatione maris diversitatem, ratum facit, ut alio sicco transiliam pede. Hujus beneficio in imis terræ visceribus metalla & alia generantur, quo tamen nec lumen, nec calor pervenit. Et hoc modo terræ cavernis inclusus, nec radiis lunaribus expositus, æquè humorum luxuriam (teste Cardano) sentit, ac ille, qui in luce ambulat. Demonstratâ ergo jam siderum inferiora hæc mutandi virtute, sit

THEOREMA II.

Sideralis scientiæ periti & (α) tempestatum mutationes & (β) innativitatum erectione, possunt has vel illas animi affectiones in hominibus prædicere (γ) probabiliter.

Quoniam superiori theoremate satis, superq; probatum, dari Fatum astrologicum: hoc est, suam cuivis stellæ datam esse virtutem & hanc ad pluviam, istam ad grandinis, pruinae, imbrium, aliam ad tonitruum, æstus, ventorum &c. conferre ortum & variè hinc inferiora affici: Restat jam, ut de ipsius Veritate pauca in medium proferamus, quanta scilicet ipsi sit fides adhibenda. Etenim hinc duo occurrunt extrema, quæ, ceu sirenum scopulos caveamus, opus est. Primum est, ne in excessu peccemus cum Arabibus aliisque Ethnicis

nicis cœlum, ejusq; exercitum devotè adorantibus. Quo
& illi spectant, qui divinam hanc scientiam in abusum rapi-
endo, dum superstitiosè fines transilientes, religioni inju-
riam, pietati jacturam intulère, plurimis invisam & pero-
sam reddiderunt. Nihil enim tentandum, inchoandum,
perficiendumq; censuere, nisi consultis astris, quibus non
annuentibus, frustra optatos expectari eventus. Imò Car-
danus eò dementiæ est progressus, ut horoscopum Christi
ex astrorum positu meditari & ex sinistris quibusdam aspe-
ctibus, nato Christo datis, fatale illi in cruce suspendium
prædicere non cohorrerit. In altero extremo adeo delin-
quitur, ut non credam ullam scientiarum partem, tantis in-
juriis & calumniis, præsertim imperitorum (scientia enim
non habet irrisorem nisi ignorantem) esse aut fuisse unquã
expositam, quantis hæc ex astris conjecturandis scientia;
quam, non Veritate modò ei detractâ, sed artis etiam titulo
derogato, ex rerum naturâ, ad orcum relegatam volunt,
tanquam quæ se præstigiis à veritate alienissimis venditet,
ut graphicè loquitur Phænix ille Danicus de content. astrol.
Verùm hisce, quibus ad despectum dicteris divam Astrolo-
giam procaciter insectantur, facilè responderi potest, si Do-
ctorem subfelliis relinquatur, numne potius risum, quàm
responsum mereantur. Non enim vident homulli illi acer-
bitatis suæ virus in Astrologiam evomentes, quod errata Ar-
tificis non sint arti tribuenda. Manet proinde.

• Astrologos prædicere posse tempestatum mutatio-
nes: Mirum enim quàm accuratè Solis, Lunæq; Ecclices.
Item alia multa; ut cæli serenitatem, tempestatem, siccitates,
pluvias, ventos, nives, frigora, æstus, sterilitatem, annonæ
caritatem, pestem, morborum genera multa &c. ut sapissi-
mè etiam præfagiis eventus respondeat, ut testatur Barth.
exerc. ast. § 32. Theor. 2. memb. XI. p. 21.

B

β. Cum

β. Cum etiam corpora humana, propter temperamenti puritatem & caloris insiti subtilitatem, majorem, quam inanimata & animalia, cum caelo cognationem habent, efficacius proinde ab eo afficiuntur: tum verò praesertim, cum recenter nata, impressionem caelestis corporis validius recipiunt, tanquam laxa adhuc & tenella. Atque hinc has, vel illas animi effectiones in Homine praedicere possunt, siderum scrutatores & hunc fortem illum timidum; hunc castum, illum libidinosum; hunc avarum, illum liberalem; hunc ingeniosum, illum stupidum &c. pronunciare: Non verò nugalia illa de alea & Calculis, quis ludentium vincere possit; quae Astrologis objicit Pharoinus apud Gell. lib. 14. c. 1. quod magna sciant, parva nesciant. Astrologorum denique & Genethliacorum praedictiones ferme semper mirè congruisse, testis est Rantzovius, inductione exemplorum plurimorum, quae singulari libro enumerat. Idem refert Dionys. in August. Volaterr. lib: 13. Jovius in Elog: Et asserit Suetonius Transquillus in August: c. 94. Nato Augusto nobilem Astrologorum Publicum Nigidium Figulum horam partus accepisse, Consultisque sideribus exclamasse: Dominum orbis natum.

γ. Verum probabiliter tantum futura praedicunt: unde rectè Ptolomæus: Astrologorum praedicta, non sunt praetoria. Quamvis enim in sideribus reverà sit certa natura, inclinatio ac influentia, inde tamen non sequitur statim necessitas eventorum, praecipuè humanorum. Absit ergò, ut fatalem hinc necessitatem statuamus. Contingens enim in inferioribus, respectu caeli, effectus evenire potest, vel propter concursum fortuitum causarum inferiorum, vel propter defectum agentis, vel propter materiae dispositionem diversam aliquam. Vid. Coll. Con: 2. de caelo c. 3. q. 5. art: 2. Conf.

Conf: cum his quæ habet Fonseca tom:3. Com. Met: 1. 6.
c. 2. q. 2. l. 5.

Ergo, ut Concludamus esto.

THEOREMA III.

Astra inclinant, non necessitant.

Fatuus dicitur, qui fatuo credit Fato; Ego potius dicerem: fatuus est qui & Fato nimium tribuit & illud aspernatur ac sannis sibilisq; excipit. Medio ergo tutissimè ibimus; h. e. videamus, ne vel ad hyperbolen deflectentes, nimis liberali manu omnia Astrologis concedamus, eorumq; canones pro edictis prætoriiis habeamus; neu in *ἐπιπέδῳ* peccantes, præfagia eorum non minus, quàm fabulas & nãnias æstimemus. Quod si ergo Astra felicia promittunt, non cristas erigamus, aut umbram nostram metiamur: sin infelicia, non statim animi cadentes, abjectâ quasi hastâ fugiamus; sed utramq; Fortunam intrepido vultu suscipiamus, sustineamus, juxta illud

Si fortuna favet, caveto tolli:

Si fortuna tonat, caveto mergi.

Hâc de reverò Aquila ille Philosophorum insignis Bartholinus, nonnullas adducit rationes, quæ scilicet fiat, quod effecta astrorum ab Astrologis prædicta, in herbâ nonnunquam suffocentur, extinguantur. Præcipuas hîc adducam, I. Sæpissimè, inquis, universales causæ damna portendunt, & minantur, particulares felicia, quæ tamen ab illis vincuntur. Sic remotas causas prospera offerentes, vincunt propinquæ, infortunia inferentes, si fortiores & contra. II. Imò cum cælestes & naturales causæ propinquæ & remotæ, nos meris calamitatibus, morbis bellis &c. exponunt; misericordissimus noster cælestis Pater contra seriem omnium

causarum secundarum succurrit; Et vice versâ posthabitis
causis effectricibus & significatricibus pœnas multas meren-
tibus incutit. III. Adde turbas, quas hostis humani gene-
ris juratus in agentibus causis DEI permisso movet. IV. Ta-
ceo prædictionum varietatem, à quibus & in quas redun-
dant. Hi clades, quas cœlestes causæ portendunt, precibus
avertere possunt, pio vitæ genere & peccatorum fugâ; for-
tunam autem prosperiorem, quam spondent, eodem medio
tanquam harpagone ad se propiùs attrahere: Illi prædi-
centes sæpe naturâ desituuntur vel arte, vel utrâq; ut jure
Ptolomæus in Certiloq. Solos numinis afflatos particularia
posse prædicere affirmet. V. Præter cognitâs stellas erran-
tes & inerrantes, innumeræ sunt aliæ, haud quaquam otio-
sæ, quibus æquè suas in agendo & ciendis tempestatibus vi-
res non possumus non tribuere, licet debiliores; quæ quia
Astrologis ignata, incertus etiam manet eorum effectus, So-
li Creatori notus. VI. Est & astrorum necessitas naturalis
impedibilis ratione oppositionis Virtutum cœlestium; si-
cut & vix sine errore notari & cognosci potest, positus astro-
rum qui est eo momento, quo quis nascitur. VII. Physica-
rum causarum actiones & effectus variat fluxilitas materiæ
elementaris, incertis agitata motibus, nec eas, quas semel
complexa est formas perpetuò retinens, sed levi occasione
irritata, excutiens & novas rursus assumens. IIX. Ad mu-
tabilitatem materiæ accedit debilitas agentium sublunari-
um, quorum interventu Corpora cœlestia in agendo in his
inferioribus utuntur. Nam præter causas cœlestes ad pro-
ducendos effectus, opus est etiam causâ particulari efficien-
te & materiâ idoneè præparatâ. IX. Efficaciùs astris incli-
nant qualitates elementares, humores corpori cognati & fa-
miliares, alimenta q; ex quibus humores naturam ac quali-
tates

tates trahunt. Ita meracius liberaliusq; hausto vino inca-
lescunt nonnulli & ad arma prosiliunt concitiores, ma-
gisq; fervidi, quam Martis rutilantis radiis adjuti. X.
Temperamenta etiam à Stirpe & Patriâ aliquid mutuuntur;
Cum semine enim (mirum) aliqui parentum morbi pro-
pagantur. Similia alia profluunt ab avitis majoribus &
progenitorum naturâ, alimentis, ambientis aëris qualitate,
primâ institutione, inveteratâ consuetudine &c. Cum er-
gò tot impedimenta prædictiones astralogicas evertere
possint, non necessarium, sed tantum contingentem effe-
ctum, ex astrorum Virtute, quâ à DEO in hæc inferiora a-
gendi, prædita sunt, asserimus: Et hoc est, quod erat pro-
bandum.

Δίξα θεῶ μένω, ὅς ὀλύμπια δώματ' αἰεὶ
δόξα θεῶ ἴω, πνεύματι δόξα θεῶ.



Orna-

Ornatiss. Dn. Respondenti

Clare Musarum, LUDEMANNE,
fervor,
Gratulor grato Studio: Labori
Comprecor faustam validamq; Sortem,
Qua regas vitam stabilem; virescens
Quò tuum coeptum studium perennes.
Sic enim certò Sophies Magister
Constitueris.

apponebam;

M. ALBERTUS LINEMANNUS,
Mathem. Profess. Publ.



O Te felicem studiis LÜDEMANNE! quis ausit
Ingenii dotes extenuare tuas?

Dum lustras vigili curâ quæ volvit Olympus,

Qui trahit æthereis sidera fixa rotis;

Errantesq; suò stellas simul impete versat,

Et quæ sub lunâ tardior orbis habet:

Dum secreta poli, dum conscia sidera fati

Subijcis eximiis discutienda viris.

Augurium felix, memorabile nominis omen

Præsto est, mi LÜDEMAN, LINEMAN alter eris.

Perge

Perge alacri cursu parnassia volvere tempe,
Subtiliq; tuus sudet in arte labor!
Aspiret felix cepto fortuna labori,
Atq; tuum cingant Delphica ferta caput!

Gratulab. Disputaturo Dn. Re-
spondenti fundebat

JOHANNES à Söbellin
Nob. Curl.



Dilectum quamvis rapuit mors improba
fratrem,
Te solum atq; premant aspera fata nimis:
Tu tamen appares animosus, fata docendo
Quid veri teneant; inter utrumq; pius.
Ex fratris damnum illatum sic morte refarcis
Dum LINEMANNVS cum te LÜDEMANNE,
tonat;
Et scandit cathedram, Cœptis Deus annuat his-
ce, et
Qualis Hic, ut fias, mi LÜDEMANNE precor!

*Hæc amico suo suavissimo
adjicere voluit*

GERHARDUS à Söbellin
Nob. Curl.

Virgi-

Virgilius quondam cecinit: labor, omnia vincit.
Improbis: illa tuus vicit, Amice, labor.
Vicit, Amice, labor, cathedram dum scandis & altā
Qua vires ornant sidera, voce refers.
Gaudia mille Tibi labor hic tuus afferet atq̃
Tradet opes varias, si modò pergis ita.
Si modò pergis ita cepta atq̃ fideliter urges
Accipies Docti nomen & omen Io!
Nomen & omen habes, dulcis LÜDEMANNE, sed
opto
Floreat & vigeat nomen ubiq̃ tuum!

Hæc conterraneo ac amico suo
intimo posuit

JOHANNES TROSTIUS
Northeimensis.



Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270




f
Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1647 35
29

PHILOSOPHICÆ LOGICI

erum ma-
ratore, Fato-
no DEO,
sophicæ consensu

vi, Spectatissimiq̃
INEMANNI
n Albertinâ Prof.
toris Venerandi,
sui ætatem
ndi,

publicè sistet
ANNES LÜ-
-Lünæburgicus
dens.

.XII. Julii
nis.

LUSNERIANO.
VII.

